Nobilissime et Ampliss. Dne.

Insigne carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum, utriq: Principi, quod ne sic quidem mandaveras, obtuli, ornatum verbis, quibus pro merito potius, pro amicitia debui. Respondit utriusq: nomine Imperator Pater, plurimum se debere tibi, gratias itidem habere quam maximas, quod forensibus districto negotiis placuerit in has amoenitates excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est nota, quam demonstrando in patriam et res auriacas amori ac benevolentiae plane singulari. Superest ut gratias agam, quas ago meo quoq: nomine vir Ampl. me quem de patria turba seligere voluisti magnae humanitatis tuae vilem proxenetam. Rubore illa mihi res incussit, cogitanti, nescio quo fato, neglexisse me nuper, afferre tibi dissertatiunculam de organis Ecclesiarum Foederati Belgii typis vulgatam, quod si confitente reo placabilis es, neq: adhuc sesquihorium ista lectione perdidisti, nunc demum ut perdas petere à te audeo; atq: ut expressis rigide argumentis aperte significes τῇ χαρίζειν, τί μοι δέον οὐκ ἐπελίπῃ sententiam denique de sententiis dicere assuetis, de mea dicas, quasi è Tribunali curiae a qua nec provocatio est. Expecto quam mox compotem me tanti beneficii facias, et castigando quoque doceas quam non inter amicitiae tuae tirones sit

in castris ad Genepam
3 Julii CIƆIƆCXLI.

Tibi Devotiss.
C. Huygens.

Superscriptio erat
Mijn Hr
Mijn Hr Van Foreest
Raetshr in den Hoogen Raed &c.
In S'Gravenhage.

Eidem.

Quo igne incalueris, nescio. Febrilem quidem illum, quem pridem deferbuisse spero, satis certus sum ejusmodi scintillas non emittere, quales in Poëmatio nuper misso agnovi lucidissimas. At enimvero praeter illas tuas in aetate jam provectali ingenii usque juveniles flammas ignea fax amor est Patriae Patrisq:; qua non desinis tu ardere, neque haec dictare tibi dignissimas te et republ. meditationes: ut ambigere liceat potiorne civis an Poëta habendus

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 70
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813

tis. Raptim Exc officio, districtus pluribus negotiis, quæ in-
-cumbere soli solent, quoties exercitus in præsidia reducendus est;
quod nunc agimus. Itaq: ius paucos dies, quorum aliquot ego
Zulichemio meo impensurus eo, amplius Exc te testabor, ubi Hagæ
te sanum ac valentem amplecti dabitur; quod nunc animo
et affectu facio, Vir Dne penitus tibi virtutibusq: tuis
addicto ac devoto. Bergis ad Zomam xv cal: Nov: xliv.

Superscriptio ut ante.

T. observantiss:
C. Huygens.

S. Nobiliss: et amplissime Vir.

Mitto ad te orationem, quam solum ejus argumentum
tibi commendari poterit. Mitto autem ut meam tibi
observantiam novo documento obsignem et apud te tester,
quantum eximiæ tuæ virtuti et eruditioni in purpura tuo
rarissimæ tribuam in eam etiam spem erigor, fore ut
balbutiem hominis parum assueti isti stylo oratorio et
feras et excuses, quæ tua singularis est comitas, Cæterorum
Deum rogo, ut te vir amplissime, summum ordi-
-nis vestri decus quam diutissime superstitem esse velit
in quo voto finio. Scripsi ex Museo Lugd: Bat:
xvij April: Ao. 1646.

Amplit: Tuæ
Devotiss:
Fredericus Spanhemius

Superscriptio erat.

Nobilissimo amplissimoq:
Viro D. Joanni Foresto
supremæ curiæ assessori
gravissimo, Do. plurimum
suspiciendo Hagam.

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 70
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813